Dissertatio Juridica Inauguralis
Ad legem 4. *ff. de hered. vel act. vend.*

GENUINUM INTELLECTUM HUJUS LEGIS CONTRA COMMUNEM INTERPRETATIONEM & SENTENTIAM:

quasi venditor nominis tantum verùm non bonum nomen præstare teneatur,

EXHIBENS

QUAM

Divina Aspirante Gratia,

EX DECRETO atqve AUTHORITATE AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ

IN ILLUSTRI ACADEMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,

Sub PRÆSIDIO

VIRI *Amplissimi, Consultissimi atque Excellentissimi*

DN. HERMANNI ZOLLII,

JCti Celeberrimi, Consiliari Hassiaci & Professoris Juris in hac Academia Primarii, p. t. RECTORIS MAGNIFICI, Patroni sui sempiternùm devenerandi,

PRO

SUMMIS in utroqve JURE HONORIBUS & PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS ritè conseqvendis

Publicæ disquisitioni & examini Dnn. Professorum submittit

JOHANNES GEORGIUS SCHOENEMANNUS,

Homberga-Hassus.

Ad diem   *Augusti An.* 1707.

RINTHELII, Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typ.




DEO O. M.
PATRIÆ DULCI
PATRONIS
AMICIS &
PARENTIBUS.

Discursum hunc Juridicum, qua potest animi submissione ac reverentia,

D. D. D.

J. G. SCHOENEMANNUS.



I. N. D. J. C. A.

§. I.

Communis est traditio Doctorum, Venditorem nominis verum quidem sed non bonum & exigibile nomen præstare teneri, ideoque Emptorem ad evictionem agere non posse, etsi minus idoneum debitorem vel qui solvendo non est, si sciens sive ignorans receperit, *per text. in l. 4. ff. de hered. vel act. vend.* Ubi Ulpianus ait: *Si nomen sit distractum, Celsus libro nono Digestorum scribit locupletum esse debitorem non debere præstare; Debitorem autem esse præstare, nisi aliud convenit. gloss. Bartol. Bald. & Dd. commun. in d. l. 4. & Brunneman. ibid. num. 1. Burgund. tract. de Evict. c. 11. num. 1. Frantzk. de Evict. num. 24. & seqq. Zœs. in comment. ad tit. ff. de hered. vel act.*

 vend.

vend. Carpzov. p. 2. constit. 34. def. 26. Mantic. de tac. & ambig. convent. lib. 4. tit. 13. num. 7. Tuschus conclus. 281. num. 5. lit. C. Berlich. p. 2. decis. 290. num. 12. Lenz. de nom & act. cess. cap. 27. membr. 7. num. 1. & seqq. Perez. in Cod. tit. de hæred. vel act. vend. num. 101. Wesemb. paratit. ff. eod. num. 6. ibique Hahn. in not. ubi duo præjudicia Facultatis Juridicæ Helmstadiensis allegat. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exercit. 23. thes. 79. & Exercitat. 27. thes. 23. Mævius in tract. Discuss. Levamin. inopiæ debitorum cap. 7. num. 30. & seqq.

§. II.

Quam quidem sententiam adeò extendunt, ut existiment, venditorem ad evictionem non teneri, etiamsi evictionem nominis aut se indemnem servaturum Emptorem promiserit, *Caspar. Caballin. tract. de Evict. §. 5. num. 37. Fabius de Anna. consil. 51. num. 29. Matth. de Afflict. decis. Neapol. 8. num. 4. Bart. in l. 49. ff. solut. matrim. Paul. de Castro vol. 2. cons. 170. num. 2. & post eos Hahn. in not. ad Wesemb. tit. ff. de evict. num. 10.* ubi hanc sententiam duobus præjudiciis Facultatis Juridicæ Helmstadiensis prolixè confirmat.

§. III.

Verum sententiam illam non tantum æquitati naturali, sed etiam Juri Civili non convenire, nobis cum paucis aliis præsertim

cum

cum Dn. Ennone Rudolpho Brenneisen/ hodiè Serenissimi Principis Frisiæ Orientalis Consiliario Aulico, qui in Dissertatione Juridica de Præstatione Evictionis in cessione nominis: sub ejus præsidio à Dn. Christoph. Elia Oelhafen/ Halæ Saxonum An. 1696. habita lubricitatem communis sententiæ doctè ostendit, nobis præsvasum habemus, & contrarium, quod scilicet venditor nominis non tantum verum sed etiam bonum & exigibile nomen præstare teneatur, de jure verius esse existamus.

§. IV.

Planè Status controversiæ hìc non est de Evictione, quippe quæ tunc locum habet, quando nomen alienum venditum & evictum est, unde dubitare non licet, si nomen aliquod, quod ad alium pertinet, alicui venditum sit & evincatur, venditor ad restituendum pretium cum eo quod interest, nomen evictum non esse, teneatur. *l. evicta. 70. ff. de evict.* Sed lis est de præstatione, ad quam venditor proprii nominis teneatur? quod argumentum ad Ædilitium Edictum pertinet, quo cavetur, ut venditores certiores reddant

em-

emptores, quid morbi vitiique cuique rei venditæ ſit, & ſi hoc venditores vel ex calliditate vel ex ignorantia reticeant & rem vitioſam Emptori tradant, actione redhibitoria vel quanto minoris conveniri poſſunt *l. 1. & t.t. ff. de Ædil. edict. & t.t. Cod. de Ædil. act.*

§. V.

Unde apparet Venditorem nominis non vitioſum & inane ſed bonum nomen & quod uſui eſſe poteſt Emptori tradere teneri, ſi hoc factum non eſt, & tempore venditionis nomen propter inopiam debitoris exigi non potuit adeoque inane & vitioſum fuit; venditorem nomen ſuum recipere & pretium Emptori reſtituere teneri. Ædilitium edictum enim non tantum ad mancipiorum ſed etiam ad cæterarum rerum, (adeoque etiam nominum) venditiones pertinet, teſte Ulpiano *in l. 63. ff. de Ædil. edict.* Et quid ni? Exigit enim natura Emptionis, utpote contractus bonæ fidei, uti ſicut venditor juſtum pretium pro re accipit, ità etiam rem non vitioſam ſed probam & quæ uſui eſſe poſſit Emptori tradat, (ſcilicet der Verkäuffer muß Kauffmañs Guth liefern/ut vulgo dici ſolet.)

Nec

Nec ad rem facit instantia illa, quod nihil aliud quam nomen, seu facultas debitorem in judicio conveniendi & ab eo petendi rem debitam sit venditum, ergo etiam venditor nihil aliud præstare teneatur; Nam & eodem modo dici possit, qui equum alicui vendit, functum esse sua obligatione modo equum, ut ut morbidū & vitiosum præstet, quod absurdum est, nec venditorem ab actione redhibitoria vel quantò minoris liberat.

§. VI.

Sanè si bonæ fidei contractus expressam conventionem non patitur, ut emptor rem amittat & venditor pretium retineat, uti ex sententia Juliani refert Ulpianus *in l.* II. *§. ult. ff. de act. empt.* multò minus admittet, ut venditor nominis, quod ob inopiam debitoris inane & in effectu nullum est. *l.* 6. *ff. de dol. malo.* Ideoque ex eo Emptor nihil accipere potest, hoc obtentu, quasi nihil nisi nomen seu facultas conveniendi debitorem venditum sit, pretium retineat; Imò minus noxium est nullam planè habere actionem quam talem, quæ propter inopiam debitoris ina-

inanis est, quippe ubi nulla est actio parcitur sumptibus, quos alioquin actio, quæ in effectu inanis est, requirit & elicit.

§. VII.

Porrò contra communem sententiam militat argumentum ex *l. 57. de contrah. empt.* ubi Paulus ait: *Domum emi, cum ego & venditor combustam ignoremus, Nerva, Sabinus, Cassius nihil venisse, quamvis area maneat, pecuniamque solutam condici posse ajunt. Sed si pars domus maneret Neratius ait in hac quæstione multum interesse quanta pars domus incendio consumpta permaneat, ut, si quidem amplior domus pars exusta est, non compellatur Emptor perficere Emptionem, sed etiam quod forte solutum ab eo est, repetet, sin verò vel dimidia pars vel minor quàm dimidia exusta fuerit, tunc coarctandus est emptor venditionem adimplere æstimatione viri boni arbitratu habita, ut quod ex pretio propter incendium decrescere fuerit inventum ab hujus præstatione liberetur &c.* Utcunque enim hic textus de venditione domus combustæ agat, eadem tamen est ratio in venditione nominis, quod ob inopiam debitoris inane & nullum factum est, & consequenter in nomine vendito idem jus esse debet *l. 32. ibique Dd. ff. ad L. Aquil.*

§. VIII.

§. VIII.

Specialius adhuc communem ſententiam impetit & noſtram confirmat textus in *l.* 22. §. 2. *ff. ſolut. matrim.* ubi Ulpianus ait: *Si mulier ſoluto matrimonio egentem reum dotis per novationem decepta accipiat, nihilominus actio dotis ei manebit.* Ecce! hic maritus ſoluto matrimonio, quo dos eſt reddenda, debitorem, qui tempore ceſſionis egenus & non ſolvendo erat, mulieri in ſolutum dat, qualis contractus vicem venditionis obtinet *l.* 4. *C. de evict.* & dicit JCtus, non obſtante ejusmodi datione in ſolutum nihilominus mulieri actionem dotis manere. Planè Doctores cauſam hujus deciſionis partim in favore dotis ponunt, uti Brunnemann. *in d. l.* 22. *num.* 6. & alii ibidem ab eo allegati, partim dolo cedentis mariti adſcribunt, quos ſequitur Joh. à Sande *tract. de ceſſ. act. c.* 9. *num.* 19. *& ſeq.* Sed negamus hîc favore dotis aliquid ſingulare conſtitutum eſſe, quin potius id, quod hîc JCtus decidit, naturæ venditionis, vel quod idem eſt, dationis in ſolutum congruit, per ea quæ ſupra *th.* 4. *& ſeqq.* dicta ſunt; Ceſſat ergo in

hoc argumento allegatio alicujus privilegii dotis, quod non est, neque etiam ratio Sandii alicujus momenti est; siquidem in dicto textu non dicitur, mulierem dolo esse deceptam, sed simpliciter *deceptam* id est læsam, quod etiam sine alterius dolo contingere potest, hoc enim sensu verbum illud Romanis JCtis passim sumitur *vid. l.* 1. § 1. *l.* 2. §. 3. *ff. ad SCt. Vellej.* & falli dicitur Emptor qui vitiosam rem emit, etiam si venditor vitium ignoraverit *l.* 1. §. 2. *ff. de Ædil. edict.*

§. IX.

Præterea non obscurè nostram sententiam adjuvat *lex* 96. §. 2. *ff. de solut. & lib.* ubi Papinianus talem casum refert; *Soror, cui legatum ab hærede fratre debebatur, post motam legati quæstionem transegit, ut nomine debitoris contenta legatum non peteret, placuit quamvis nulla delegatio facta neque liberatio secuta esset, tamen nominis periculum ad eam pertinere, Itaque si legatum contra placitum peteret, exceptionem pacti non inutiliter opponi.* Ecce! dicit JCtus periculum nominis ad sororem pertinere, unde sequitur nomen idoneum ei à fratre in solutum fuisse datum, alioquin nullum periculum

perituræ ex actionis, ad inopiam vergente debitore, metuendum foret. Aliud igitur dicendum, si cessionis tempore inidoneus fuisset debitor, tunc enim periculo nominis cessante cedentem pretium restituere debere cum Accursio & aliis ibidem allegatis *Dd.* rectè colligit & statuit Brunnemann. *in d. l.* 96. quamvis ille hoc temperamentum; *maxime si deceptio concurrat:* adjiciat, quod tamen ex supra dictis supervacaneum est, aut si eo sensu, quo id in thesi præcedente declaratum fuit, sumatur, admitti potest.

§. X.

Denique etiam naturalis æquitas nostræ sententiæ suffragatur, quo pacto enim damno affici poterit, Emptor nominis vel cessionarius propter ignorantiam facti, dum nomen venditum bonum & debitorem solvendo esse per errorem existimat? Ignorantia enim facti imò etiam juris in damnis amittendæ rei nostræ non obest sed excusat. *l.* 8. *l.* 9. *pr. ff. de juris & facti ignor.* Nec est quod quis instet, facti quidem ignorantiam non nocere, si non summa negligentia alicui objiciatur, quod hoc casu con-

tingat, si emptor vel cessionarius in facultates debitoris cessi, uti poterat ac debebat, non inquirit. *d. l. 9. §. 2. ff. de jur. & fact. ign.* nam hoc intelligendum est de supina ac crassa aliqua negligentia, qua quis id ignorat, quod omnes in civitate sciunt *d. l.* Præterea in venditione, ex qua venditor pretium pro re accipit, ratio contractus requirit, ut venditor rem nō vitiosam aut inanem tradat; imò etiam Emptorem de vitiis rei certiorem faciat, *l. 1. ff. de Ædil. edict.* Qui enim nomen emit, non nudam facultatem conveniendi debitorē sed rem ipsam debitam respicit, itaque, si nomen, quòd exigibile existimabat, vitiosum & inana sit, deceptum se meritò dicere, & consequenter propter errorem facti, cujus interpretatio quandoque prudentissimos fallit, *l. 2. ff. de jur. & fact. ign.* pretium repetere potest. Unde etiam Paulus de Castro *in l. qui satis dare 3. ff. de fidejuss.* in cessionario qui justo errore inductus, ut putaret debitorem, qui vulgò pro divite habebatur, solvendo esse, sententiam communem rectè limitat quem sequitur *Struv. Exerc. 27. th. 23.*

§. XI.

§. XI.

Neque communi sententiæ suffragatur famosa illa *lex 4. ff. de hered. vel act. vend.* Nam *primò* nominis appellatione, uti lectio Florentina habet, quæ vulgari, pro verbo *nominis* verbum *pecuniæ* substituenti, meritò præfertur, rem (debitam) significans Proculus ait *in l. 4. ff. de V. S.* unde is qui nomen vendit, non nudum & inane nomen, sed rem ipsam debitam vendere censetur, ac proinde si propter inopiam debitoris nihil à debitore exigi potest, etiam nihil venditum & traditum censetur *l. 6. ff. de dol. mal. l. 57. ff. de contrah. empt.*

§. XII.

Secundò: si verba *d. legis 4. ff. de hæred. vel act. vend.* recte attenduntur, facilè colligere licet, quo sensu ibi JCtus accipiat debitorem locupletem, & huic oppositum debitorem simplicem: Nimirum hæc est sententia Celsi ab Ulpiano ibidem relata & approbata, quod venditor nominis non teneatur quidem præstare *loclupletem] debitorem* i. e. talem qui non tantum solvendo sed etiam facilis conventionis est, prout locupletem

fide-

fidejussorem definit ipse Ulpianus in *l.2.pr.ff. qui satisd. cog.* *debitorem autem esse* i. e. debitorem à quo pecunia, ut ut difficulter & cum molestia, exigi tamen potest, *præstare.* Is enim debitor intelligitur à quo invito exigi potest pecunia inquit Modestinus in *l.108. ff. de V. S.* A contrario igitur sensu, quod argumentum in jure fortissimum creditur, in usu juris & cum effectu debitor appellari nequit, à quo pecunia propter inopiam exigi non potest.

§. XIII.

Et hanc interpretationem etiam juvant verba sequentia: *nisi aliud convenit:* Si enim verbis præcedentibus *debitorem autem esse præstare:* Secundum communem sententiam applicentur, absurdè posita videntur. Quid enim ulterius Emptor remittere poterit venditori nominis, qui debitorem etiam egenũ & inidoneum tradendo sua obligatione defungi potest? E contrario autem, si verbis præcedentibus in nostro sensu applicentur & venditor se nomen: *quale quale sit.* vendere dicat, & hanc conditionẽ Emptor acceptet, tunc nihil aliud à venditore exigere potest, quam

quam ut ſit, non ut exigi etiam aliquid poſſit, prout ejusmodi conventionis exemplum profert Hermogenianus in *l.* 74. §. *ult. ff. de evict.* Ex quo textu ſimul clarè apperet, alicui nomen ſimpliciter vendere & ſub tali conditione: *quale quale illud ſit.* vendere, admodum diverſa inter ſe eſſe, ac proinde diverſam præſtationem in venditore requirere.

§. XIV.

Imò connexio legis 4. cum lege *ſeq.* 5. quæ eſt Pauli hoc tenore ibidem relatâ: *Et quidem ſine exceptione quoque niſi in contrarium actum ſit &c.* noſtram interprætationem ſuppeditat. Poſtquam enim Ulpianus in *d. l.* 4. ſententiam Celſi (quod ſcil. venditor locupletem quidem debitorem præſtare non teneatur *debitorem tamen:* ſcilicet à quo debitum, etſi difficulter exigi poſſit) retulerat, addit Paulus in lege ſequente non ſufficere hoc ad præſtationem venditoris, ſed eum etiam talem debitorem, qui nullam exceptionem Emptori opponere poſſit, præſtare teneri. Arguit hoc verbum: quoque: quo utrumque Paulus requirit, unde patet, tantùm abeſſe, ut is qui nomen vendit non teneatur præſtare debitorem

torem

torem idoneum, quin potius ad ejus obligationem requiratur, ut non tantum debitorem qui solvendo est, sed præterea etiam talẽ qui exceptionem aliquam opponere nequit, Emptori præstet. Si igitur unum requisitum deficit, venditio nominis in usu juris nulla est, quemadmodum enim nihil interest utrum quis ipso jure non habeat actionem an habeat talem, quæ per exceptionem infirmetur *l. 112. ff. de reg. jur.* Ità eodem modo nihil interest, utrum quis actionem planè non habeat, an talem, quæ propter inopiam debitoris inanis est. *l. 6. ff. de dolo mal.*

§. XV.

Et quid multis? Palus in *d. l.* 5. apertè pro nostra sententia pronunciat his verbis: *Sed, si certæ, summæ debitor dictus sit, in eam summam tenetur venditor si in certæ, & nihil debeat, quanti interfit Emptoris.* Atqui nulla ferè Venditio vel Cessio nominis fit, in qua quantitas vel summa, quam venditor vel cedens sibi deberi existimat, non exprimatur. Ergò, si summa illa ob inopiam debitoris exigi non possit, venditor ad reparationem damni tenetur. Sin autem in certæ summæ debitor sit cessus

(e. g.

(e. g. si quis dixerit ego tibi cedo vel vendo tibi nomen vel actionem, qua ille mihi tenetur sine expressione quantitatis vel summæ) tunc quidem nihil ulterius exigi poterit, quam debitor revera debet, sive magnũ sive modicum illud sit, hoc tamen necessariò requiritur ut aliquid debeat, quoniam venditor eum debitorem esse asseveravit, itaque si postea appareat eum nihil prorsus debere, venditor tenetur in id quod interest Emptoris. *d. text.*

§. XVI.

Porrò communi sententiæ non proficit aut nostræ afficit illud Pauli in *l.* 26. §. 2. *ff. mandati* ubi dicit. *Abesse intelligitur pecunia fidejussori etiamsi debitor ab eo delegatus sit creditori, licet is solvendo non fuerit, quia bonum nomen facit creditor, qui admittit debitorem delegatum*: Sensus hujus textus hic est, fidejussor interpellatus à creditore delegat ei suum debitorem, quoniam igitur delegatio ejusmodi pro solutione est, ideoque fidejussor habetur quasi solvisset, actione mandati contra reum Principalem experiri potest, ut ei pecunia pro ipso soluta restituatur, abesse enim intelligitur

C pecu-

pecunia fidejussori etiamsi debitor delegatus solvendo non sit. *l.18. ff. de fidejuss. l.1.§.11. ff. de separat.* Et creditor hoc ipso, quo debitorem delegatum admittit eumque recipit & fidejussorem per novationem dimittit, bonum nomen respectu fidejussoris de legantis facit, etiamsi à debitore delegato ob ejus inopiam nihil consequi nec posteà ad fidejussorem reverti possit. Quod igitur hunc attinet textū, sciendum est quod delegatio de Jure Romano non aliter quam mediante stipulatione inter creditorem & debitorem delegantem & delegatum, ideoque creditore & debitore præsente per agatur. *l.1. l.3. C. de novat. & de leg. l.11. ff. eod.* Si igitur creditor debitorem delegatum sine contradictione aut protestatione admittat, isque posteà non solvendo appareat, respectu fidejussoris delegantis quidem bonum nomen facit, ac proinde delegans non tantum liberatus est, sed etiam debitum illud quasi re ipsa solutum à debitore principali repetere potest, creditor autem cui delegatio est facta sibi debet imputare, quod in conditionem & facultates debitoris delegati, cum hoc facile potuisset, diligentiis

non

non inquisiverit, rectè igitur talis negligentia ipsi pro approbatione reputatur *l. 3. ff. de fidejuss.* alia autem est ratio in debitore citra delegationem cesso; Cum enim nuda venditio nominis inscio ac invito debitore fiat *d. l. 1. Cod. de novat. & delegat.* talis occasio inquirendi in conditionem ejus Emptori non supperit, ideoque de debitore delegato ad debitorem cessum tanquam à diversis ad diversa non rectè infertur.

§. XVII.

Multò minus autem pro communi sententia aliquid facit regula illa juris, qui cum aliquo contrahit, non est vel esse debet ignarus conditionis ejus *l. 19. ff. de reg. Jur.* Hæc enim ad delegationem quidem applicari potest, non autem ad nudam venditionem aut cessionem nominis, emptor enim nominis cum venditore quidem non autem cum debitore cesso, cujus conditio hic inquirenda est, contrahit, Sanè non facilè quidem contingit, ut, qui nomen emit vel in solu-

ritis, ut hanc inquisitionem negligant. His autem per ignorantiam læsis non succurrere admodum iniquum foret. *arg. l. 25. §. 1. ff. de probat l. 9. pr. ff. de juris & facti ignorant.*

§. XVIII.

His itaque suppositis multifariis illis cautelis, quibus Doctores communem opinionem restringunt, opus non est. De quibus vid. Mantic. *de tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 13.* Berlich. *pract. concl. lib. 1. concl. 24.* Finckelthaus *observ. pract. 91.* quoniam ut dictum est, venditor nominis tale nomen, cui nulla exceptio vel inopia debitoris obstat, quo minus exigi possit, præstare tenetur. Nisi *tale quale penes ipsum est* vendiderit. Unde minus dubitare licet, quin, si venditor ratione nominis venditi indemnem se servaturum Emptorem promiserit, promissis stare teneatur. Talis enim promissio generalis est, ideoque etsi secundum communem traditionem venditor bonum nomen præstare non teneatur, nihilominus tamen hâc cautela adjecta damnum per inopiam debitoris illatum Emptori resarcire tenetur. Non attento quod post Bartol. in *l. 49. ff. sol. matrim.* aliter do-

doceat Paul. de Castro *vol. 2. consil. 170. num. 2.* ubi dicit: *Etiamsi probatum foret Campolongum promisisse Petro, defendere guarentare & in de-mnem conservare non prosit apponenti ad, id, quod dicit debitores non esse solvendo, quia non censetur per illa verba se obligâsse ad præstandum eos idoneos & solvendo, cum istud non sit de natura contractus, sed solum quod sint veri debitores & sine exceptione, cum verba prædicta adhoc possint restringi.* Quem allegat & sequitur Hahn. in not. ad Wesemb. *tit. ff. de evict. num.* 10. Non tantum enim erronea hypothesi hæc decisio nititur, quasi venditor nominis nudum duntaxat nomen nō autem bonum præstare teneatur, cujus contrarium supra evictum est, sed etiam promissio generalis de indemnisatione illam restrictionem Castrensis non admittit.

§. XIX.

Manet igitur firma nostra conclusio, venditorem ex natura contractus non tantum verum sed etiam bonum nomen, tale scilicet quod exigi & cui debitor nullam exceptio-

nomen fuisse. Nam si post venditionem contingat debitorem facultatibus labi, hujus periculum ad emptorem spectat, tum ex regula generali, quod perfecta venditione periculum & commodum rei venditæ statim ad emptorem pertineat, §. 3. *Inst. de empt. & vend. l. 1. pr. l. 7. l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 3. C. de Ædil. act.* tum etiam per textum specialem *in l. 96. §. 2. ff. de solut. junct. l. 49. pr. ff. sol. matrim. ibique* Bartol. Brunnemann. *& Dd. comm.*

§. XX.

Sed quæritur: si debitor post venditionem nominis non solvendo inveniatur, cui incumbat probatio? Utrum venditori, quod tempore contractus, solvendo; An Emptori, quod tempore contractus jam dum inidoneus fuerit? Respondemus Emptori; In dubio enim vitium aliquod in re vendita post venditionem apparens etiam post venditionem supervenisse præsumitur. *Carpzov. p. 2. constit. 34. definit.* 18. Probabit autem Emptor vitium hoc si statim post venditionem appareat, tunc enim præsumitur tempore vendi-

tionis,

tionis, jam dum adfuisse, nisi venditor contrarium probet, argumento eorum, quæ de aliis rebus venditis Doctores tradunt. vid. Bald. in *l.* 1. *Cod. de Ædil. act.* Caspar. Caballin. de Cingulo de Ædilit. act. *c.* 2. *num.* 5. & 26. Frantzk. in *comm. ad ff. tit. de Ædilit. edict. num.* 66. & *seqq.* Peretz. *in Cod. tit. de Ædilit. act. num.* 4. Et hæc pauca sunt, quæ in præsens occasione *l.* 4. *ff. de hæred. & act. vend.* pro virium tenuitate, festinante vero calamo, annotare libuit: Cæterum si quæ minus recte minusque commodè dixi etsi cui nova quædam videntur, is, diligentius, ut inquirat, hortamur, meliora tunc monentem sequi non recusabo.

Tibi verò D. O. M. grates offero devotissimas pro clementissimo concesso auxilio. Adsis impostèrum, omnia mea studia & facta committo, fac, ut iis tua gloria hancque secutura proximi salus promoveatur, ipsisque post obtatissimos successus felicissimus imponatur.

COROLLARIA.

I.

COpula & benedictio Sacerdotalis ad essentiam matrimonii inter Christianos omni ex parte legitimi Jure Communi requiritur.

II.

Christiani à Turcis aut aliis infidelibus in bello capti libertatem & hinc dependentia jura in sua civitate hodie non amittunt.

III.

Artifex excellens adhuc hodiè gaudet beneficio legis ad bestias 31. ff. de pœnis.

IV.

Dominium rerum statim ab Adamo cœpit.

V.

Filius, qui cum beneficio inventarii hereditatem paternam adivit, ultra vires hæreditarias ex feudo æs alienum hæreditarium defuncti patris exsolvere non tenetur.

VI.

Pœna Poligamiæ ex constitutione criminali Imp. Caroli V. artic. 121. quidem peinlich/ adeoque corporis afflictiva, non tamen præcisè ultimum supplicium est.

VII.

Institutio illa hæredis: *Si Titius hæres erit, Sejus hæres esto: Si Sejus hæres erit, Titius hæres esto:* Non est inutilis, pro ut ex sententia Juliani existimat Marcianus in *L.16. ff. de Condit. instit.*

VIII.

Venditorem rem venditam præcise teneri nec præstando interesse liberari, naturali quidam rationi, & æquitati, non autem Juri Romano convenit.

IX.

Locator ejusque successor conductorem, præsertim, prædii Rustici, etiam ante tempus locationis finitum sine ulla causa jure Romano propria & privata authoritate non autem judicialiter expellere potest.

